

J. N. S.
SPECIMEN ACADEMICUM

DE

NON EXCIDENDA AR-
BORE FRUCTIFERA

DEUTR. XX: 19.

QUOD

CONSENSU AMPL. SENAT. PHILOS. IN REG. ACAD. ABOENS
Publice examinandum sunt

AUCTOR

GUSTAVUS DANIEL MONTIN,

Philos. Mag. & Collega Schol. Catb. Ab.

ET

RESPONDENS

LAURENTIUS ANDREAS BORGSTRÖM,

Australis.

In Auditorio Majori Die IIII Decembris

MDCCCLXXXIII

H. A. M. S.

ABOÆ,

Impressum apud Viduam Reg. Acad. Typ. J. C. FRENCKELI.



§. I.

Cum ratio temporis postulare videtur, ut specimen aliquod Academicum concinnaremus, de idonea materia dissertationis diu deliberandum non erat, ex quo se forte fortuna deliberantibus obtulerat locus ille vexatus *de non exidenda arbore fructifera*, qui Deutr. XX: 19. legitur. Quamvis enim ingenue fatemur, nos eos non esse, quorum ex industria expectari possit perfecta solutio tot dubiorum, quot locum hic citatum premere cognovimus, eo tamen nomine hoc ex loco materiam speciminis defumere placuit, quod occasionem praebet nonnullis observationibus Grammaticis, quarum cognitio ad nostrum scopum in primis pertinere videtur. Quum enim non Academico, sed Scholastico fungamur munere, nec supra sphærā nostrā evolare conemur, huic quidem instituto sufficere putamus, si II, quorum ex judicio fortuna nostra pendet, nos vel in fundamentis linguae Hebrææ Grammaticis operam aliquam posuisse, nosque proinde non prossimis indignos judicent quos suo patrocinio ulterius promoveant. In ipso autem negotio ita versari volumus, ut primum

3

aliros atque alios tum antiquiores tum recentiores audiamus loci nostri *interpretes & explanatores*, deinde examinatis potioribus sententiis, de singulis judicium exerceamus criticum, quid unaquæque earum aut veri vel falsi contineat visuri, tandem explosis ceteris, eam, quam omnium verissimam esse cognoverimus, quoad ejus fieri poterit extra aleam dubitationis ponere studeamus, argumentis partim ex *significationibus*, partim ex *constructionibus* vocum defumtis. Quo quidem officio ita fungi volumus, ut ne eam quidem negligamus lucem, quam *scopus dicentis* suppeditat. Quantum autem in singulis præstare valuerimus, id dijudicandum deferimus Lectoribus, quorum bonitati & æquitati conatum nostrum enixe commendamus.

§. II.

Prius vero quam vel *interpretes*, vel *explanatores* loci nostri ex promisso audire queamus, ipsa rei natura postulare videtur, ut Textum ejus Hebræum adponamus. Sic vero ille habet:

כִּי תָצַר אֶל עִיר יְמִים רַבִּים לְהַלֵּחַ עַלֵּיהֶن לְהַפְשָׁה לֹא תִשְׁחִית אֲתָה שָׁהָה לְנַרְחַת עַלְיוֹן גְּרוֹן כִּי מְצָנוֹ תַּאֲכַל וְאַתָּה לֹא תִכְבֹּת Quoniam pri-
ora verba hujus Textus nihil habent difficultatis, ob eamque caussam ab omnibus tum *interpretibus* tum *explanatoribus*, quos quidem nobis consulere licuit, uno eodemque modo explicari solent, inutilem seque-

remur prolixitatem, si eorum in varias linguas versiones hic adponeremus. Studio igitur brevitatis ad ducti sufficere judicamus, si de sensu posteriorum, in quibus ipse situs est nodus, varias interpretum sententias colligere & adponere ingrediamur. Hæc vero ita transferunt Græci interpretes Alexandrinī, quos septuaginta, adpellant: Μὴ ἀθεωπέ τὸ ξύλον τὸ εἰς τῷ αγέω, εισελθεῖν απὸ πεισώπω σὺ εἴς τὸν χάρεγνα; h.e. *Nun arbor in agro est homo ut se a te removere ē in propugnaculum se conjicere posſit.* Hunc sensum etjam Latinus interpres vulgatus, interrogatione tantum in negationem conversa, & puritate Latini sermonis in altera formula, præter morem, fervata. Sic vero hic vertit: *Lignum est, ē non homo, nec potest bellantium contra te numerum augere.* Mirari igitur conveñit, qui fieri potuerit, ut in tanto veterum consensu recentioribus nonnullis interpretibus Europæis in mentem venierit toto cælo diversas adornare translationes. Ut alios præteream, duos tantum exempli cauſa hic adducere volumus. Versio Junii & Tremellii hæc habet: *Nam agrestes arbores cuivis expositæ sunt, ut procedant ante te in propugnaculum,* Sebastiani vero Schmidii: *Nam homini etjam arbor agri (similis est) ut veniat coram te in obſidionem.* Plures hic cumulare non patitur loci angustia, quamvis nullo fere negotio conquiri adscribique possent. Interea non defunt, qui vestigia veterum legentes, multo & planiores & meliores loci interpretationes concinnarunt. Nec e longinquo

❀) s (❀

ginquo petenda sunt exempla, cum domi satis idonea habeamus. Utraque enim vernacula, tam antiquior, quam recentior, hanc laudem nostro quidem judicio meretur. Illa sic habet: År det dock ett trå på mar- kene, och icke menniska; och kan icke komma i bok- werck emot tig, hæc vero ita: ty år val trat i mar- kene någon menniska, at det emot dig skulle utöfwa någon fiendtlighet. Toton vero locus nostro judicio, latinis verbis sic efferendus est: *Si quam urbem longo tempore obsidebis ut eam expugnes, in tuamque redigas potestatem, noli arbores ejus, admota securi, corrumperre; nam cum fructibus earunt vesci possis eas ne succidere licet. Nam num homines sunt arbores agri, ut a te recedere seque in propugnaculum conjicere possint.* Hæc interpretatio omnium, quas vidimus, nobis maxime arrisit, quippe qua sensus Textus optime exprimi sentimus. Atque hoc deinceps pro virili demonstrare adgrediemur. In antecessum vero remotum ivisse juvabit alias atque alias doctorum virorum opiniones, quas huic quidem sententiæ quoque modo adversum tenere deprehendimus.

§. III.

Omnium igitur primum sub examen vocare con-
venit commentum non indocti Judæi Aben Eſſræ,
qui vocem וְיַצֵּע, quæ ad litteram ipsum hominem de-
notat, *victum* significare somniat, quo vita hominis

fustentatur. Mirari convenit, qui fieri potuerit, ut
haec tam præcaria hypothesis non dicam viro docto
sed homini ratione utenti in mentem veniret. Nobis
certe adeo dura videtur, ut eam nullo pacto conco-
quere possimus. Nam si vel totam Sacram Paginam
lustraveris, ne unum quidem locum in medium pro-
ducere poteris ex quo talis interpretandi ratio pro-
bari queat. Et si hac licentia in scriptura interpre-
tanda uti liceret, nullum nobis dubium est, quin quod-
libet ex quolibet excuspi posset. Ea enim adoptata
usuique applicata, brevi de omni certitudine herme-
neutica actum esset. Quocirca magnopere mirandum,
quod Magnus Salomon Glassius per quietem viderit,
cum hoc tam insulsum placitum suo calculo probavit,
quod tamen factum esse, ex Philologia ejus Sacra col.
683. collegimus. De hoc igitur placito recte judicat
doctissimus Erh. Andr. Frommannus Opusc. Philol. &
Hist. argumenti p. 168. ubi quis quæfio, inquit hæc &
similia dicendi genera ferenda existimet: *homo est pa-
nis, homo est caro*, pro cibus hominis est panis, cibus
hominis est caro?

§. IV.

Hac hypothesi explosa, pedem promovere licet
ad alias, quæ quamvis speciem mentientur majorem,
non multo tamen veritatis habere videntur. In his
primum nobis se offert conjectura doctissimi Theolo-
gi

* * 7 *

gi Joh. Henr. Maji, qui ex allatis verbis Mosis parenthesi inclusis, hanc excusculpit sententiam: *Ipse homo est arbor agri.* Hoc quid sibi velit, prius non intelligis, quam viri doctissimi explicationem audiveris. Hæc vero huc redit, vitam humanam æque in potestate Numinis esse, ac excisionem & dejectionem arboris ex libitu hominis pendere experimur. Atque hoc a Mose ideo doceri sciscit, ut discatur, misericordia uenditum esse erga res inanimatas, ex eoque capite arboribus fructiferis parcendum. Sed ut se cunque habeat veritas hujus hypotheseos dogmatica, jure tamen vereor, ut veritas ejus exegetica satis firmo nitatur fundamento. Ratio in promtu est. Quis enim ex inde certo scire potest, cur potius felici, quam infelici arborum generi parcendum sit. Atque haec una ratio ad assensum hypothesi negandum satis valida videtur, quamvis ei alioquin cum constructione **vo-**
cum Grammatica amice convenire largiamur.

§. V.

Quo circa de aliis atque aliis melioribus interpretandi rationibus continuo inter Philologos quæsumum est. Alia certe via ad difficultates tollendas eundum est, post alios judicavit doctissimus Tellerus in annotationibus ad hunc locum, quæ in opere ipsius Biblico comparent, ubi **הָרָם** in voce pro nota casus vocandi habet, indeque verbis Mosis hunc tri-
bulit.

buit sensum: *Nam, o homo, arbores adsunt sylvestres quibus ad obsidionem uti possis, machinas ex illis construendo, hinc non est quod fructuosas ad usum huncce adhibeas.* Hæc explicandi ratio locum tueri videtur inter eas, quibus species veritatis minime neganda est. Interim tamen non defunt rationes, cur eam pro vera adgnoscere non possimus. Hæc opinio suam & thesin & hypothesisin habet. Thesis sumit ו non raro notam esse vocativi, hypothesis vero, idem hoc loco usu venire, subsumit. Sumitio recte se habet, subsumtio autem non item. Dudum enim viris doctis observatum est, ו vim quidem vocandi suis in locis tueri, sed ipsa hæc loca non alia esse, quam in quibus concitata assertibusque animata exultat oratio. Hoc vero quis non sentit omnium minime in hunc convenire locum, ubi legislator in eo est, ut suis æquam & bonam præscribat legem, quod quidem negotium potius quietum ac sedatum quam æstuosum & concitatum orationis genus postulat. Præterea gratis hic sumitur vocibus ו ו arbores indigitari sylvestres, a fructuosis modo commemoratis distinctas, quippe quod hæc voces neque per se, neque per nexum cum antecedentibus & consequentibus valent. Vocabula ו ו non excludere genus arborum, quod fructus producit, haud obscure patet ex binis saltem locis Levit. xxvi. 4. & Hezech. xxxiii. 27. in utroque enim de hoc subjecto prædicatur actus ferendi fructus ו. Et quod ad ipsum attinet contex- tum,

turn, observare licet, quod ab aliis dudum observatum est, idem, quod hæc voces ex hypothesi valere jubentur, commate sequentiꝫ distincte præcipi, adeo ut sola servitus hypotheseos necessitatem importet di-vino legislatori otiosam simulque vitiosam ejusdem rei repetitionem tribuendi, id quod inimicis ferendum existimamus, nec quemquam facile existimaturum intelligimus.

§. VI.

Idem incommodum eam quoque premit hypothesin, quam doctissimus Christ. Noldius, præeuntibus Junio & Termellio adoptavit, hanc verbis Moſi, de quibus etiam nunc querimus subesse putans sententiam: *At cuivis permittaſſe ſint, arbores agrefteſt ut veniant ante te in propugnaculum.* Et si vel maxime ab hoc incommodo libera effet, eo tamen nomine Moſi aliena videtur, quod ſenſum partim coactum, partim obſcurum involvit. Nobis certe his vitiis laborare animadvertitur. Nec ab iis eam liberat quæ adjecta eſt, parenthesis. Quod ad interpretationem vocis בְּנֵי הָאָתָּה attinet, duo ſeorsim animadvertenda ſunt, quæ facilius dici, quam probari existimamus; alterum, quod eccliptice poſita ſtatuitur, ſub audita u-niversalitatis particula בְּנֵי, alterum, quod in *caſu dan-dī* efferenda præſumitur. Neutrū uſui linguae ab-folute repugnare contendimus. Hoc enim imperitiam

argueret Grammaticam, cum utrumque suis in locis obtineat, cuius rei exempla satis idonea existare non dissimulamus. Utruu vero hic locus eorum in numerum referendus sit, longe alia est quæstio, quam non temere adsfirmandam esse autumamus. Primum enim observare licet, idem non statim valere de definito אָרֶם, quod de indefinito אָרָם valet. Hoc interdum significationem admittere pronominalem agnoscimus, illud vero non item. Nobis certe hujus mode exemplum nondum videre contigit. Et si vel centum prostarent, hanc tamen caussam non juvarent, cum ex alio capite nihilominus laboraret. Hoc ex constructione vocum Grammatica adparet. Nam si vera esset hypothesis, ad אָרָם referri deberet vox פְנִים in statu constructio positum, ob eamque caussam non פְנִיר, in secunda, sed נְנִינָה, in tertia persona, efferendum foret. Tota igitur hypothesis infirmo nititur fundamento, ad primum ieiunum solidæ Grammaticæ collapsura.

§. VII.

Sed redeamus ad hypotheses doctorum virorum, qui voces עַז הַשְׁרָה סֵג parenthesi includendas esse seiscunt. Quamvis autem hæ plures esse possint, nobis tantum duas sub examen vocare placet, antequam ad eam proponendam & confirmandam progrediamur, quam nos omnibus ejusunque sint generis,

neris, præferendam statuimus. Prior harum; quæ
præter alios doctissimum Joh. Piscatorem nacta est
adlectorem, in eo a ceteris differt, quod doctissimus
eius auctor particulam 19, quæ parenthesin inchoat,
non per nam, sed per quamvis reddendam esse arbitra-
tur, hoc modo scibens: *quamvis homini sint arbores a-
gri*, adeo ut ex hac hypothesi hæc prodeat posterio-
ris partis commatis sententia: *ne excidito, (quamvis
homini sint arbores agri) ut procedant ante te in pro-
pugnaculum.* Num hæc proxime praecedente minus
coacta & obscura videri queat, non opus est, ut mul-
tis moneam & doceam, cum suus cuiusque sensus hic
judex sedere possit. Quod 19 non raro quamvis va-
leat, multis exemplis ostendit diligentissimus D. Christ.
Noldius in Concord Part. L. H. adeo ut in thesi recte
concedi debeat. De hypothesi autem, qua hæc no-
tio hujus particulæ ad hunc præcise locum adplica-
tur. Multo aliter judicandum arbitramur. Ratio
hæc est, quod, ut doctissimus Frommannus l. c. opor-
tune monet, hoc admisso seu, concessso, tota Mosis
sententia prorsus supervacanea evadat. Deus enim
inquit, cum certarum rerum usum igitibus circumseri-
bit, confirmare hominibus opus non habet, se nihil
de jure ipsis concessso ea re demptum velle. Reliqua
incommoda, quibus hæc hypothesis laborat, hic bre-
vitatis caussa præterimus, cum ea plurium commu-
nia sint, ob eamque caussam, partim in antecedenti-
bus dudum ostensa sint, partim in consequentibus, u-
bi occasio fert ostendi possint.

§. VIII.

Venio nunc ad recentissimam omniumque speciocissimam hypothesin, quæ nobis occasionem præbuit omnem hunc laborem suscipiendi. Ea natales debet doctissimo C. H. Frommanno, quem saepius jam in superioribus laudavimus. Summa hujus hypotheseos huc credit, Mosi, vi verborum *רבים ימי mul-*
dierum dierum h. e. longioris temporis, solum modo esse sermonem de obsessionibus urbium d'nturnioribus in quibus inopia & penuria alimentorum etiam obsidentes affligere poterit, nisi *prudentiam adhibeant economicam*, isti generi arborum, quæ fructus edules ferunt, parcentes, solas infrugiferas usibus bellicis adhibendo. Cumque observasset veteribus urbium expugnatoribus penitus ignoratum fuisse usum pilarum ferrarum & globorum ignitorum, quibus in tecta conjectis, hodie ad deditio[n]em urbium compelli solent obsessi, indeque facile collegi posse docuisset quam ingentem arborum multitudinem necesse haberent succidere, si tanta suppetaret copia lignorum, quanta ad turres ædificandas, ad arietes ceterasque machinas construendas, imo ad vias salebrosas vallibusque impeditas complanandas sufficeret. Hinc minime supervacaneum fuisse existimat diserta legis littera constituere, quales arbores liceret quales non liceret his usibus impendere. His observatis verba legis *ומצוז מפנהו לא תכרת לבא* coherere sciscit

ver-

verbis בְּ הַאֲרָם עַז הַשְׁוֹת parenthesi sejunctis. Verbis igitur prioribus hunc tribuit sensum: *hinc illas ne, succidas, illis ad machinas bellicas & reliquum obsidionis adparatum usurus;* posteriora vero hunc in modum transfert; *Nam hominum sunt arbores agri,* addida parentesi: (*hominibus a Duo concessa sunt,*) ut fructibus eorum vescantur. Ut hoc eo facilius admittant lectores provocat ad verba Gen. 1. 29, quibus Deus hominibus omnes arbores fructiferas in cibum dedisse dicitur. Et ne quid dubii locum habeat circa constructionem verborum, quatenus cum aliis necesse habet presumere בְּ הַאֲרָם idem hoc loco quod לְאַרְם valere id idoneis exemplis ex Ecce. XII: 13. & Hezech. XII: 10. adductis extra aleam dubitationis pone re fatagit.

§. IX.

Hæc hypothesis quamquam inter ceteras, quas hactenus breviter excussumus, tantum eminere videatur, quantum lenta solent inter viburna cupressi, nihil tamen magis omnem veritatis laudem tueri potest Nam si oculum ad attendendum paulo pertinacius adhibueris, nulli dubitamus, quin eam quoque suis quasi rimis, per quas incertitudo transluceat, laborare invenias. Hypothesis pluribus communis, de parenthesi, hic admittenda & adgnoscenda, iisdem premitur incommodis, quibus ceteræ doctorum con-

14

jecturæ, quas in superioribus explosimus. Quem enim sensum verbis tribuit, is ex iis non facilius fluit, quam ut duplo longiori opus sit explicatione, antequam quid dicere velint, distincte percipere possis. Nec quiquam ei adcreset roboris ex citatione Gen. I: 29. Hoc doctissimum Auctorem latere non debuit, ex quo ipse ad hypothesin Piscatoris eum adduxerat observationem, quam §. VII. citavimus. Eodem enim jure hic monere possumus, Deum hominibus opus non habere toties declarare, suo eos jure uti, quoties res virtui inservientes in suos convertunt usus. Quæ ex Lev. XII: 13. & Hezech. XII. 10. adducit exempla, ea duntaxat fieri posse probant, ut idem **לְאַרְם** **הָאוּמָה** **בְּאַפְצֹור** valeat, re autem vera hoc loco idem valere gratis sumptum videtur, formulam tantumdem involvere ac generatim converti in usum bellicum aut speciatim adhiberi ad machinas bellicas conficiendas, ut reliquum taceam adparatum, ad quem significandam extenditur. **בְּאַ** semper adhiberi solet de motu e loco i locum, unde multæ & variæ pendent significationes, quarum nulla illam ipsam rei mutationem involvit, quam ea tum subit, cum in aliam & aliam transmutatur formam, alijs atque alijs hominum usibus inservitura. Hunc verbi usum nobis certe nuspian videri licuit, meritoque dubitamus num totus Codex Hebraeus vel unum habeat locum, in quo id hujusmodi notionem tueatur, præsertim in nexu cum voce **סִפְנֵי**, quæ huie

* * 15 *

huic hypothesi quam maxime repugnat. Quod Latinis *ingredi*, id Hebræis נָא dicitur. Quod si igitur idoneis exemplis probare posses Latinis recte dici: Lignum ingreditur machinam, pro ex ligno sit machina, quod tamen vix quisquam, concederit, num ideo sine vitio concludi posset, נָא Hebræum eodem plane modo usurpari? Huic ipsi hypothesi duo adhuc obstant, quæ quantivis momenti esse videntur. Primum quidem vox טַצְוָר non machinam significat bellicam, sed illum ipsum urbis locum, quem hostes eam capturi machinis bellicis demoliri satagunt h. e. castellam, monumentum, propugnaculum. Hinc נָא בְּצִיר omnium & propriissime & commodissime significat intrare in castellum, se in castellum conjicere. Deinde vox מִפְבֵּץ, quæ ad literam *a conspectu tuo reddi* debet, nullo pacto patitur, ut formula hic adducta machinam bellicam constituere significet, nisi hoc admittere velis absurdam, oculis amplius non usurpari lignum, ex quo in certam aliquam machinam conversum sit & mutatum.

§. X.

Nihil igitur amori veritatis convenientius, quam adhuc de simpliciori & commodiori hujus legis ratione quærere. Nec hunc laborem prorsus inanem fore speramus, ex quo videri licuit novam versionem sivecanam, in qua hic locus tam sponte fluentem be- neque

neque cohærentem nactus est translationem, ut vel
 primus intuitus non mediocrem veritatis præsumtio-
 nem adferre reperitur, præsertim cum in eo quod ca-
 put caussæ est, consentiendum habeat non totum mo-
 do chorum antiquorum interpretum, quos §. i. ex-
 citavimus; sed magnum quoque numerum recentio-
 rum tum *interpretum* tum *explanatorum*, quos inter in
 primis nominandi sunt *Lutherus*, *Castellio*, *Drusus*,
Grotius, *Clericus*, alii qui *ipso Frommanno* fatente,
 vix alium loci sensum esse posse opinati sunt. Ope-
 ræ igitur pretium fuerit experiri, num qua pateat
 via ad evitandos istos scrupulos, qui recentioribus
 impedimento fuerint, quominus in Sententiam vete-
 rum, pedibus ire potuerint. In antecessum vero ta-
 lem interpretationem textus totius commatis, qua-
 lem verba, nostro quidem judicio non tam admittunt,
 quam requirunt, paulo liberius repræsentare volu-
 mus, ut certum habeamus objectum, ad quod subin-
 de inter disputandum & disquirendum respiciamus.
 Sic igitur eam latinis verbis adornandam ducimus:
Si quando tibi in obſidenda urbe aliqua longo temporis
ſpatio hærendum fit, antequam eam expugnare in tuam
que potestatem redigere valueris, nolito securi admota
exſcindere arbores, quarum fructibus vefci poteris; Ne-
que enim eadem eſt ratio arborum agri, quæ hominum,
qui a tuo ſe conſpectu removere & in castellum conſicere
poſſunt (numerum eorum qui urbem defendunt audiri).
 In toto hoc ſpecime nihil inveniri ſentimus, quod vel

au-

* * 17 *

aurem vel mentem prudentis lectoris offendere possit. Omnis igitur quæstio huc redit, utrum natura rerum & structura verborum hanc interpretationem absque ulla vel coacione vel luxatione recipere queat, idque ita, ut vera ratio legis sibi simul recte constet. Utrumque fieri posse nobis persuasum habemus; num vero nostra opera effici possit, ut ab omnibus adgnoscatur, alia est quæstio, ad quam nostrum non est respondere. Interea hoc posterius eo magis nobis dubium esse debet, quo certius scimus, quam parum nostra tantilla effici possit industria, quamque difficile sit quibusdam homiibus vel eas persuadere veritates, quæ ceteris evidentiam axiomatum æmulari videntur.

§. XI.

Duæ nobis hic solvendæ occurrunt questiones, quarum altera ad *rationem* ipsius legis, quæ hic sanctitur, altera ad *significationes* & *constructiones* vocum, quæ sententiam legislatoris produnt, seorsim spectat. Sub examen igitur revocanda est sententia doctissimi Frommanni, qui, ut supra monuimus, rationem legis in *prudentia quadam œconomica* quærerit. Hanc ille hypothesis pro perfecte demonstrata habet, ex quo observavit de obsessionibus præcise diuturnibus hoc loco agi, quarum sive eventus sive effectus naturaliter esse solet penuria alimentorum, id quod per quam

idoneo exemplo ex Herodiani Lib. VIII. Cap. V. §.
 8. petit probat, & ne quid desit, quod ad sententiam
 hanc muniendam pertineat ex verbo **רָנֵן comedes**,
 prudenter colligit, hac lege præcaveri inopiam ex
 parte obsidentium metuendam. Hac ille omni excep-
 tione Majora, & talia etiam revera videntur, nisi o-
 culis utaris lynceis ad ipsa rei viscera penetrantibus.
 Nobis vero quærentibus, numne aliud quoque ma-
 lum, quam penuria ciborum ex obsidionibus diutur-
 nis proficisci possit, in mentem venit aliquid ejusmo-
 di, ut exinde æque recte peti posse videatur ratio
 Legis, de qua quæreremus, ac ex illo fonte, quem do-
 cētissimus Frommannus reperit, aperuitque. Quo sci-
 licet citius obſeffi oppidanī, positis armis, se hosti op-
 pugnanti dedant, eo mitioribus uti victoribus solent, quo
 autem illi diutius & pertinaicus in resistendo ac repug-
 nando perseverent eo hos experiri crudeliores coguntur.
 Quoties igitur uſu veniebat ut ob pertinaciam obſef-
 forum diutius duraret obſeffio hujus vel illius urbis,
 toties exacerbari solebat ira obsidentium. Cumque
 obſeffis pro lubitu nocere non possent, intra moenia
 semet defendantibus, fieri facile poterat, ut in res eo-
 rum tum animatas tum inanimatas, quas in agro in-
 veniebant furere inciperent, ne rebus quidem tum
 ipsis tum aliis utilissimiis, quales sunt arbores eduli-
 bus abundantes fructibus, parcentes. Ratio igitur
 Legis, de qua Quæſtio est, quamvis prudentiam quan-
 dam œconomicam complectatur, illa tamen sola mi-
 nime

nime obsolvitur, sed simul involvit rationem quan-dam *moralement* eo valitaram, ut populus Israëliticus, qui in diuturna servitute Egyptiaca nescio quam morum barbariem contraxerat, & tantum non obbrutuerat, paulatim ad verum humanitatis sensum reducere-tur. Quid vero magis abhorret, quam res cor-rumpere, ex quibus nihil mali meduendum, sed con-tra multum boni sperandum est. Cumque diuturni-tas obsidionis ad usus supra commemoratos non ex-i-guum postularet copiam lignorum, necesse erat lege-cavere, ne sub hoc prætextu libido utilia corrumpen-di jugum rationis excuteret. Hinc totum adparatum bellicum ex materia lignea comparandum ad solas arbores infrugiferas restringit.

§. XII.

Hactenus de ratione legis egimus. Nunc verba legis paulisper scrutari volumus, ut, quomodo his cum illa conveniat intelligamus. Primum quidem nobis concedi postulamus, præfixum **נ** non raro interrogationi inservire. Quominus idem hoc loco, concedi possit, nihil omnino obstare arbitramur. Non equidem ignro, quid moneat laudatus Frommannus, hoc usu non venire nisi ab initio sententiæ, nunquam post particulam **נ**, quæ hoc loco præmittitur. Sed hoc viri docti monitum nostræ caussæ nihil omnino nocet. Primum enim nihil impedit, quominus **נ** in-

terrogative sumi posset, si vel maxime verum esset; solo illud hoc loco hanc sibi præmissam habere particulam. Quis enim in tam parvo libro expectare poterit, ut plura exempla singularum loquendi formularum occurrant. Sed forte etiam hujus modi exemplum revera occurrit. Suum certe monitum valde dubitanter adducit Frommannus, quod adjecta formula: (si recte memini), haud obscure prodit. Quis enim singulas loquendi formulas, cum minimis quibusque circumstantiis, memoria tenere potest? Magis vero, quis totum codicem Hebræum eo consilio perlegit, ut in promptu haberet, quid ad hanc quæstionem respondendum esset? Hoc tamen novimus aliis interrogandi particulis, quæ etiam frequentissime ab initio periodi occurrere solent, interdum accidere, ut alias præmissas sibi habeant voces, quod nominatim de particulis כ ו ט observare licet, exempla occurrentia concordantiis Noldianis. Verbo: sufficit, quod nulli, neque communi, neque particulari repugnet regulæ. Quod vero vir doctus simul monet, ו ex nostra hypothesi potius *subjectio* ו ו, quam *prædicato* אֲרָם præfigi debuisse, id oppido falsum est, quippe quod magna exemplorum silva refelli potest. Nihil igitur neque in hoc, neque in illo viri docti monito inest, quod vere impedit aut prohibeat, quomodo verba כ י הַאֲרוֹם ע י הַשְׁוָה recte verti possint: *Nam num arbores agri sunt homines?* Quod vero nos hanc propositionem *verbis negativis* expressimus, id non
exin-

exinde derivatum volumus videri, quod cum Drusio
 aliisque particulam negativam hoc loco aut inseren-
 dum aut repetendum ex antecedentibus existimave-
 rimus, sed quod hujusmodi propositiones *interrogati-*
væ propositionibus *negativis* ex usu loquendi *equipol-*
lent, i. quod varia Scripturæ loca v. g. 2 Sam. XII.
 5. 1. Paral. XVII: 4. Hezech. XVIII: 23. & alia be-
 ne multa extra controverfiam ponunt. Quod vero
 homines & arbores hoc modo comparare neque je-
 junam neque frigidam sapiat rationem, ut viro docto
 sepius jam laudato, dicere placuit, non opus est, ut
 multis adstruamus, cum credibile videatur, ne ipsum
 quidem Frommannum sic dicere potuisse, nisi amore
 suæ hypotheseos deceptus fuisset. Nec est quod exi-
 piat, ideo jejunam & frigidam videri, quod arborum
 fructuosarum & infructuosarum eadem sit ratio, quan-
 doquidem neque hæ neque illæ hominum aut militum
 munia obire possunt. Neque enim Mosis in mentem
 venit hujusmodi comparisonem eo intuitu institue-
 re. Adpellatio *חַשְׁדָה*, *arbor agri*, per se utrum-
 que genus arborum complectitur. In neutrum ex
 mera corrupendi libidine securi grassandum existi-
 mat legislator, morum inhumanitati obicem positi-
 rus. Neque enim voce *חַשְׁדָה* aliud innuere volebat,
 quam quod arbores, de quibus loquitur, in agro h. e.
 extra murorum præsidia essent, ob eamque caussam
 nihil haberent quo se defendere, nedum quo hostes
 se adgredientes repellere, vulnerare aut trucidare

possent. Quod vero commate demum sequente ex
 genere arborum infrugifera tantum desumere permit-
 tit, quantum ad opera bellica requiratur, id ad ex-
 ceptiones a regula pertinere videtur. Fundamentum
 vero exceptionis latet in voce נָאַתְּ, quæ in parte
 commatis priori occurrit, adeoque frustra aliunde
 quæritur. Ipsum vero verbum נָאַתְּ quatenus se-
 cundæ personæ est, & hoc loco de populo Israëlitico
 predicatur viro docto, (cujus laudes jam saepius celebra-
 vimus) occasionem dedit restringendi rationem legis
 ad prudentiam æconomicam, de qua supra mentionem
 fecimus. Ne igitur nos peccasse videamur, quod eam
 latius extendimus, non alienum fuerit, hujus facti
 caussam paulo distinctius exponere. Hanc igitur le-
 gem in ipsa humanitate fundamentum habere, ob eam-
 que caussam non ad solum Populum Isræliticum, sed
 ad omnes gentes ex æquo pertinere existimamus.
 Lex enim naturæ nihil temere corrumpere permit-
 tit, quod ad vitam hominum sustentandam pertinet.
 Quantum enim quoque loco corrumpitur, tantum de-
 penit hominum communi decedit. Nec vi opus est
 ad hunc sensum ex verbis legis extorquendum. Spon-
 te enim ex ipsis fluit, modo recte intelligentur. Mo-
 ses hoc loco, ut alias, *silo utitur regali*, quæ secun-
 da persona rerbi amat afferre propositiones univer-
 sales ad officia omnium hominum pertinentes. Hoc
 ignorare potest nemo, qui vel sola decem præcepta
 adtente perlegerit. Propositiones enim: *non occides*,

non

non mechaberis, non facies furtum, non falsum adhibebis testimonium, idem omnino valent, ac si scriptum esset, nemo homo cuius cunque gentis fuerit, occidet. Quid? quod Hebræi verbo activo secundæ personæ efferre quæ cunque soleant, quæ aliis in linquis tertia persona passivi communiter efferuntur. Hinc commedere potes fructum, idem est, ac fructus comedи potest, vel brevius, fructus est comedibilis. Neque tamen ideo hoc loco exulat respectus præcipuus ad gentem Israëliticam. Hoc tantum dicimus, præceptum, quod Moses suis civibus inculcat, ejus esse indolis, ut ad alios quoque populos in iisdem casibus constitutos pertineat.

